

**Dissertatio inauguralis medica, de hydrargyrosi sive salivatione ope
mercurii ... / auctor respondens Henr. Adamus Schrimpfius.**

Contributors

Schrimpf, Heinrich Adam.
Alberti, Michael, 1682-1757.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joh. Christiani Hendelii, [1740]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ju7bv5q2>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
 DE
HYDRARGYROSI
 SIVE
 DE
**SALIVATIONE OPE
 MERCURII,**

Quam.

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiæ Facultatis Medicæ,
 IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R A E S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
 CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE

PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO LICENTIA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DO-
 CTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONVENTIS

ANNO MDCCXL. D. NOVEMBR.

Publicæ ac placidæ Eruditorum ventilationi subjicit
 AUCTOR RESPONDENS

HENR. ADAMUS SCHRIMPFFIUS,

SCHLEITZENSIS - VARISCUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
 TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

TULLIUS Tuscal. Quæst. Libr. IV.

**Neque sine magna vtilitate constitutum esse videtur, vt
homines castigationibus affici se in delictis dolerent.**

CELSISSIMO ATQVE EXCELLENTIS-
SIMO DOMINO,

D O M I N O

HENRICO PRIMO,

I VNIORIS

STIRPIS RHVTENVM,

COMITI AC DOMINO DE PLAVIA,
DOMINO GRAITZAE, CRANNICHFELDAE, GERAЕ,
SCHLEITZAE ET LOBENSTEINII,

ETC. ETC.

DOMINO MEO CLEMEN-
TISSIMO,

HOC OBSERVANTISSIMI ET GRATISSIMI ANIMI

MONIMENTVM

SVMMA PIETATE, RELIGIONE AC REVERENTIA
SACRVM ESSE IVBET

A V C T O R.

CELSISSIME ATQVE EXCELLENTISSIME
C O M E S ,
COMES AC DOMINE CLEMENTISSIME ,

Minus auderem, TIBI, DOMINE IN-
DVLGENTISSIME, hancce Disser-
tationem inscribere: nisi CLEMEN-
TIAE TVAE insignissimae erga o-
mnes a DEO TIBI subiectos testimonia me se-
curum esse iuberent. Labor enim est, qui ni-
hil habet tanto NOMINE dignum , & argu-
mentum tractat, quod ab illa cura longe distat,
qua in tanto fastigio collocati afficiuntur. Inte-
rim tamen beneficia TVA, quae in me clemen-
tissime collata extant, respiciens, tanta illa de-
pre-

prehendo, vt GRATIA TVA indignissimus o-
mnium omni iure forem iudicandus, nisi tan-
tae benignitatis, tanti amoris, tantae clemen-
tiae memoriam, oblata mihi quauis occasione,
gratissima obseruantia atque immortali praed-
icatione colerem. Quamuis vero TIBI, DO-
MINE CLEMENTISSIME, pro tantis erga
me beneficiis nihil gratiae referre valeam; per-
suadeas tamen TIBI, hanc curam fore infixam
animo meo sempiternam, vt TIBI, ILLV-
STRISSIME COMES, si tanto TVO beneficio
ac liberalitate non quidem dignissimus, certe ta-
men gratissimus esse videar. Et sicuti TVA cum
CELSITVDINE certans humanitas, qua libe-
ralium artium cultores erigere studies, multis a-
sylum bonae spei ac rei promontorium fuit; ita
quoque ego haud dubius haereo, quin patiaris,
hominem in TVA vrbe natum, hoc leuissimum
suorum in arte salutari profectuum specimen
ad pedes TVOS deponere. Licet vero multos
esse concedam, qui me peritia & eruditione lon-
ge superant; nulli tamen sum concessurus, vt
maiori pietate & promptiori subiectissimae men-
tis obsequio TE colat. Faxit interim DEVS
T.O.M., quem piis precibus exorare nunquam
definam, vt vna cum CELSISSIMA FILIA
TVA Nestoream aetatem saluus, incolmis &

nunquam Medico indigens, consequaris: sic
fiet, vt sub felicissimo TVO regimine pax & iu-
stitia porro vigeant & floreant: Singularem ve-
ro TVAM humanitatem atque clementiam mi-
hi conseruet & in dies augeat. Sic voueo

CELSISSIME ATQVE EXCELLENTISSIME
C O M E S,
COMES AC DOMINE CLEMENTISSIME,
CELSITVDINIS TVAE

Dabam Halae Magdeburgicae
d. XVIII. Nouembris.
MDCCXL.

*humillimus & subiectissimus
servus*

HENRICVS ADAMVS SCHRIMPFFIVS.



PROOEMIUM.



Eruulgatum prouerbium est
Saliuam alicui mouere, quod de
illo studio atque opere dicitur,
quando alterius gratum desideri-
um, flagrans appetitus, ac cupida
inclinatio allicitur & prouocatur;
qualitas itaque eiusmodi concupi-
scentiae flexilis est, vt haud cogi
& morose impelli, sed blande leniri & placide excita-
ri debeat, ideo etiam scopus huius irritamenti vel bo-
nus, vel fraudulentus est, & quidem quando in sub-
iecto quodam nondum spontanea propensio in ali-
quam actionem adest, vt demum media, occasiones
& tempora apprehendi & ordinari debeant, quo ali-
cuius affectus & inclinatio prouocetur. Hoc ada-
gium non modo in moralibus, sed etiam in physico-
medicis directionibus, eo quidem respectu commo-
dum locum inuenit, vt aperta hac Scaturigine largio-
ris af & effluxus saliuæ exacta impetrentur commo-
da, non solum euacuandi scopo, vt hac excretionis
specie

specie multæ pernicioſæ impuritates, diuersae speciei, tam e toto mari microcosmico, s. Massa sanguinis, quam ex vniuerso corporis humani complexu solidarum partium affatim eliminantur, sed etiam alterandi fine. Quemadmodum autem naturalis ordinaria & moderata ſaliuae profusio intra fauces non excretionem huius humoris concernit, sed potius retenctionem & deglutitionem illius; ita contra artificialis ſaliuae commotio & prouocatio euacuationem magis eius respicit, qua simul aliae, sed noxiae materiae, hoc sub vehiculo ſalutari prouisione & destinatione excernuntur, aut alio respectu vel deriuatorio, vel reuulsorio scopo ſalutares effectus & successus intenduntur & promouentur. Haec consideratio me pariter mouit & permouit, vt praesenti Inaugurali Specimine de SALIVATIONE PRÆC. MERCVRIALI breui deductione differam: quod conamen ut coelestis bonitas ſua directione adiuuet, deuotissime precamur.

§. I.

Glandulae dicuntur organa secretionis lymphæ; quorum consistentiam cerebro duriorem, carneque molliorem inuenimus.

SCHOLION. Hæ vero glandulosæ portiones ob varium viſum & locum, quem occupant, varia etiam accipiunt nomina: hinc e. g. illæ glandulae, quæ ſub axillæ reperiuntur, Axillares, quæ in inguinis regione conſpicuntur, Inginales, & quæ circa oris confinia ſeſe manifestant, ſaliuales dicuntur.

§. II.

Fluidum illud, quod ex massa ſanguinea in glandulis ſali-

saliualibus secernitur, Saliua vel Sputum nominatur.

§. III.

Si haecce Saliua iusto maiori quantitate per hasce glandulas saliuales euacuatur, tunc ista actio Ptyalismi s. saliuationis nomine insignitur.

SCHOLION. Differentia autem est facienda inter Ptyalismum, qui a medicamentis salino-sulphureis, in ore masticatis, excitatur, & inter Ptyalismum, qui a Mercurio & sic dictis mercurialibus dependet, utpote qui etiam *κατ' ἐξοχὴν* Saliuatio nominatur. Quid? quod? interdum etiam euenire solet, ut eiusmodi euacuatio saliuæ symptomatice & critice sese manifestet. *vid. s vtrius in operibus med. libr. II. cap. XIII.*

§. IV.

Hinc saliuatio, *κατ' ἐξοχὴν* sic dicta, est seri viscidii, vehementius acris deturpati e massa sanguinea per glandulas saliuales oris, linguae & faucium excretio specialis, medicamentis aptis a medico excitata.

SCHOLION. Optime hic dictum fuit, quod sit seri deturpati excretio. Si enim leuior solummodo a statu naturali factus sit recessus, inutile certe ineptumque foret eiusmodi euacuationem fortiorē suscipere: cum methodus brevior & medicamenta quoque leuiora ad sint, quibus haec degeneratio leuior in statum naturalem rursus redigi queat.

§. V.

Haec vero saliuatio dupli ratione considerari potest, & plerumque diuiditur in Completam atque Incompletam. Completa & proprie sic dicta saliuatio vocatur, quando humorum excretio ordinarie fit per glandulas saliuales: Incompleta vero dicitur, quando humores ope mercurii solummodo funduntur & resoluuntur, & deinde

successive per alias vias naturales euacuantur. e.g. vias v-
rinarias, poros cutis, vel glandulas intestinales.

§. VI.

Medicamenta, quae eiusmodi saliuationem artifi-
cialem producere valent, saliuantia s. αποφλεγματικονται
dicuntur.

§. VII.

Antequam vero de operatione huius saliuationis si-
mus acturi, antea paululum accuratius nobis consideran-
dum venit Subiectum, circa quod versatur, id quod ni-
hil aliud est, quam corpus humanum, quatenus nempe il-
lius M. S. sero viscido, aeri vel per contagium, vel per
nimium Veneris exercitium sibi contracto, est inquinata.

SCHOL. Ob nimium coitum ex pura Venere interdum nasci
impuram, testatur VERCELLONIVS in libr. de Pudendorum mor-
bis cap. I. p. m. 3. seqq.

§. VIII.

Deinde instituti nostri est etiam considerare huius sa-
liuationis indicans, id quod est vel principale, vel adae-
quatum.

§. IX.

Indicans principale ac proprium est humor praet-
ernaturalis (§. 4.), qui sui remotionem e M. S. postulat, &
per alias vias commode educi nequit.

§. X.

Talis vero humor praeternaturalis hic praecipue lo-
cum habet, qualis in lue venerea deprehendimus; quip-
pe cuius virus corpus humanum ita affligit, ut partibus,
quascunque afficiat, ruborem, calorem, tensionem, do-
lorem, uno verbo φλόγωσιν inferre soleat, quam sequun-
tur

tur excoriationes atque exulcerationes partium: quae omnia supponunt materiam salino-sulphureo-viscidam; quae si sanguifera & lymphatica vasa intrauerit, extendit illa, hinc fiunt tumores, & materia stagnans acris facta deinde fibras cutaneas atque membranaceas corrodit, & erosionis multaque alia producit symptomata.

§. XI.

Et si totam luis venereae tragoeidiam percurrimus, & varios eiusdem modos, quibus corpus inuadere solet, ubique tales erosiones partium inueniemus: sic e. g. apud viros, Gonorrhœa laborantes, vrethram, prostratas, vesiculas seminales rodit atque exulcerat: in foeminis vero prostatas, glandulas Couperianas & vaginam vteri. it. in vlcusculis membra virilis, balanus, fraenum & praeputium: in mulieribus vero vulua, variaeque vuluae partes: in bubone glandulae inguinales: in exostosibus lamellæ osseae & periostium, in palati viceribus columella f. vulua, paristhmia f. tonsillæ, membrana pituitaria, osseum palati, lamellæ narium osseae &c. ex quibus omnibus acida aut acido salsa, corrosiva ac fixa natura huius morbi venerei satis luculenter patet.

§. XII.

Quod attinet indicans adaequatum, hocce suppetunt circumstantiae, ex rebus naturalibus, non naturalibus ac praeternaturalibus desumptae.

§. XIII.

Res naturales si perpendimus in his primum occurrit aetas, cuius omnino facienda est ratio. Non enim quaelibet aetas ad hancce euacuationem maiorem sustinendam per sic dictam saliuationem apta deprehenditur;

quin imo nulla nisi media fere aetas eam cum leuamine perferre potest.

§. XIV.

Quare etiam infantilis aetas ob fibras & neruos deliciatores hic merito excludi debet. Erenim cum saliuatio sit ope mercurii, qui salibus coniunctus hac in tenera aetate facile neruos afficit illosque irritat; id quod ex inferioribus patebit: certe grauiora mala exinde consurgent: nedum quod haec aetas eiusmodi euacuationem feri enormem, qualis in saliuatione contingit, perferre nequeat.

§. XV.

In senibus saliuatio nullo modo est concedenda quatenus nempe serum & vires in illis deficiunt. Incompleta vero saliuatio in illis interdum suscipitur, iisdem medicamentis refracta tamen dosi propinandis, quae ita fusionem & resolutionem seri praestat, ut per vias vel vrinarias, vel subcutaneas, vel etiam per aluum aliqualis fiat excretio: & eiusmodi insensibilis & blanda euacuatio neque vires, neque serum imminuit ac debilitat tanto gradu, & tamen humor quodam modo alteratur atque educitur.

§. XVI.

Quoad sexum aegrotantem notandum, quod vterque quidem eam perferre possit; non tamen quilibet status. Hinc in sequiori sexu consentit omnino feri abundantia, ut haec euacuatio absque omni periculo in illis institui possit. Si vero mulier quaedam vtero grauida lue venerea infecta sit, eique partus prope instet, tunc illa ab hydrargyro si abstineat; alias enim verendum, ne in ipso ptyalismo periculosius esset enixura. Vbi autem peri-

periculum in mora esse solet, ne grauiora exinde futura sint symptomata, sine omni cunctatione inunctiones mercuriales concedi possunt. Interim tamen meliori cum successu haec operatio institui potest, si illa a puerperio refecta fuerit. Tunc enim non solum alumnus, ab vberibus illius pendens, huiusque vitii materni particeps factus, sed & ipsa vna eademque opera ex arte sanari potest.

§. XVII.

Habitu corporis si consideramus, obesi ac macilenti homines eam subeentes caute sunt tractandi. Obesorum enim vasa magis minora sunt, & ob multas oleosas particulas, quae iis insunt, compressa: hinc motum & rarefactionem M. S., vti in saliuatione contingit, non bene admittunt oleosae enim particulae impedimento sunt, quo minus serum resolutum transire possit. Macilenti homines seri defectu laborant: serum vero ad excitandam saliuationem maxime est necessarium, multum enim seri in hacce operatione dissipatur; si itaque huius defectus adest, nulla certe vera ac legitima curatio in illis expectari potest. Hinc in eiusmodi conditionis hominibus non nisi gradus minor s. incompleta saliuatio conuicta.

§. XVIII.

Idiosyncrasia etiam huc referenda est. Aegri enim interdum talem constitutionem corporis habent, vt a minima vi eorundem fibrae irritari possint. Hinc subiecta eiusmodi fibris delicioribus praedita, a mercurio assumto ob afflictionem, quam mercurius in eorum fibras exercet, statim vomitum aliaque symptomata patiuntur. Medicus itaque in eiusmodi hominibus nunquam instituat hanc operationem: invita enim natura nihil tentare debemus.

§. XIX.

Denique ad consuetudinem etiam est attendendum. Si quis enim iam olim saliuationem optimo cum successu & sine difficultate sustinuerit; in illo eadem felicitate rursus institui potest: quoniam corpus ad hancce excretionem iam aptum est. Interim tamē cauendum, ne per huius operationis repetitionem nimia fiat seri depauperatio. Quare optimum est consilium, vt aeger sibi caueat a causa.

§. XX.

Ex rebus non naturalibus in primis hoc referri metetur aëris temperies rite constituta: nihil enim magis hancce operationem impedire potest, quam aër frigidus. Omnis enim aër frigidus inspissationem M. S. inducit, auferrendo igneas partes maiori quantitate, quam a motu progressuo sanguinis rursus produci possunt. Si itaque humores iam sunt viscidi, per accessionem aëris frigidioris viscidiore redduntur. Et licet humores viscidi per motum intestinum & mercurium assumptum iam sint resoluti; tamen ob accedens frigus iterum coagulantur.

§. XXI.

Quare & eiusmodi humor viscidus iam resolutus vasa minima s. sanguifera s. lymphatica s. neruea intrauerit, & frigus accedat, tunc iterum coagulatur; hinc subsistit ille, & varias producit obstructiones: quae si sese manifestat in oculorum tunicis, coecitatem; si vero in nerveis partibus materia resoluta stagnat, paralysin, & sic in reliquis partibus multa alia incommoda inducere valet.

§. XXII.

Hanc ob causam etiam tempore brumali non com mode instituitur haecce saliuatio: sanguis enim a frigore in-

inspissatus tardius circulat ; hinc 1) mercurii efficaciam impedit 2) ob frigus corporis pori arctius constringuntur, & hinc transpiratio insensibilis aufertur. 3) saliuatio subitaneo frigore cohibita interdum graui catarrho in pectus, vel etiam decubitui in caput occasionem praebet.

§. XXIII.

Interim tamen aër nimium calidus contrariis rationum momentis etiam nocet. Omnis enim aër calidus corporis nostri calorem in pulmonibus non temperat, sed potius auget : unde rarefactio sanguinis nimia. Cum vero iam per mercurium assumtum M. S. est resoluta & caloris accessione haecce resolutio augetur , nimiam humorum colliquationem sustinere corpus oportet. Et quoniam praeterea pori cutis admodum laxius patent , exinde iusto maior seri dissipatio esset futura, quae omnia sine notabili virium detimento haud fieri possunt : quin imo haud sine aegrotantis discriminé orgasmi febriles in sanguine aliaeque periculosaे turbæ oriri possent.

§. XXIV.

Cum itaque neque aër frigidus, neque nimis calidus hac in operatione vtilis est, sequitur ut huic hydrargyrosi instituendæ aër temperatior magis sit opportunus. Quare etiam in illa instituenda anni tempestates vernales & autumnales sunt eligendæ. His enim temporibus aër circa atmosphaeram nostram est tepidior, & mercurii energiam neque retardat, neque nimiam sanguinis rarefactiōnem inducit ; sed commode adiuuat, & diaphoresi & pryalismo vtiliter fauet.

§. XXV.

Vernum tamen tempus autumnali est praferendum.

Veris

Veris enim tempore aegri, saliuatione peracta, aëris suauitate celerius ac facilius restituuntur, quam autumno praesertim circa eius finem, vbi iam aëris inclemensia ingrauescit.

§. XXVI.

In his omnibus vero iam diëtis cuiuslibet circumstan-tiae, temperamentum & constitutio corporis probe sunt obseruanda. Sic e. g. in cholericis ac sanguineis, affectu ve-nereo laborantibus, hyems ceteris paribus minus inopportuna videtur, quam aestas. Primo enim in illis iam calor adest, qui aestate magis augetur: Dein certiora ac tutiora praesidia nobis ad manus sunt ad frigoris vim temperan-dam, quam ad sedandas caloris molestias: & ulterius mer-curius hyeme tardius agens facilis & cum minore aegri periculo regi ac moderamine instrui potest.

§. XXVII.

Caeterum si morbi venerei symptomata urgeant, & periculum in mora fuerit, hisce omnibus neglectis, & abiecta omni commodioris temporis expectatione, hydrargyrosis institui potest; addita tamen hacce cautione, ut cubiculum, in quo aeger decumbit, semper ab omni aëris frigidioris accessione defendatur.

§. XXVIII.

Res praeter naturales si respicimus, praecipue quidem huc referri debet lues venerea, quippe cui in primis dicata est, hydrargyrosis: interim tamen & superioribus & his nostris temporibus medici periti & scriptis celebres hoc medicationis genus ad alios etiam huic similes morbos debellandos usurparunt, in primis vbi serum viscidum & acrimonia talis praesens est, qualis in ipsa lue venerea latet:

ret: sic e. g. ad scabiei ferocioris, imo & Elephantiae os sa-
nationem, iam olim & ante enatam illam luem illitus hy-
drargyri cum Vnguento Arabibus in vsu fuit, commen-
datus praecipue a MESVE *in Antidot.* de qua re agit expli-
catius SENNERTVS *in Prax. libr. VI. part. IV. cap. XXI.*
SYLVIVS *in method. med. p. m. 112. §. 16.* saliuationis vsum
ad foetam & rebellem scabiem omnino praecipit. In
scorbuto inueterato non inutilem esse saliuationem testa-
tur WILLISIVS *de scorbuto cap. ultim.* it. non desunt, qui
etiam vterius hancce operationem instituere volunt in
mania, podagra ac quartana, sic WILLISIVS *in tract. de*
febb. cap. VI. mentionem fecit febris quartanae saliuatio-
ne feliciter curatae. In arthrite abundantibus humoribus
viscidis saliuationem vtilem fore dicit SYLVIVS *in Prax.*
med. append. VIII. In mania & melancholia ceu diuinum
remedium extollit ROLFINCKIVS *epitom. cognosc. part.*
effect. libr. I. cap. XII. WILLISIVS *in Patholog. Cerebr part.*
II. cap. XII. exempla affert, qui sputo copiose ac diu per-
sistente perfecte sanati sunt.

§. XXIX.

His itaque omnibus probe perpensis, sequitur vt
indicatum ipsum nempe remedium, quo mediante Sal-
iuatio excitatur, consideremus.

§. XXX.

Paulo antiquiores medici huius morbi nouitate stupe-
facti diu admodum haesere ancipites, quid circa huius pe-
stis curationem agerent: hinc etiam factum est, vt per lon-
gum temporis spatium illius curationem detrectauerint, vs-
que dum numerus aegrotantium & opem quaeritantium in
dies magis magisque augeretur; tunc medici officio suo fa-

tisfacturi ad hunc morbum profligandum varia excogitarent remedia.

SCHOL. Varios curandi modos, quibus veteres usi sunt, vide apud celeberrim. ASTRUC lib. II cap. VI.

§. XXXI.

Optime autem hic morbus curari potest per medicamenta sic dicta saliuantia, quae duplice ratione considerari possunt: sunt enim vel determinantia & particulariter resoluentia; vel vniuersaliter resoluentia simulque aliquo modo determinantia.

§. XXXII.

Prioris generis sunt e. g. masticatoria, i. e. in quibus sal manifestum praecipue acre haeret, ad quae pertinent salina media, praecipue subacida & sulphurea, it. omnia, quae principio salino aromatico praedita sunt.

§. XXXIII.

Vniuersaliter vero resolutus ac simul certo modo determinat Mercurius. Nullum enim remedium ad morbum venereum penitus profligandum magis aptum fuit inuentum, quam idem mercurius illiusque praeparata, quibus adhibitis saliuatio optime excitari potest.

§. XXXIV.

Ne vero Empiricorum more illotis quasi manibus hancce operationem suscipiamus, h. e. humoribus crudis copiosioribus vel acribus nimiis praesentibus; necesse est, ut corpus antea ad illam praeparetur, ne mercurius iusto maiori vi actionem suam in corpus exercere possit. Quare semper infortuniis occurendum, si forsan quaedam imminerent. Istud enim est sapere, dicit COMICVS, non quod ante pedes modo videre, sed etiam illa, quae futura sunt prospicere.

§. XXXV.

§. XXXV.

Felicem itaque huius siphilliciti morbi curationem expectaturi ad sequentia indicationis momenta attendant necesse est:

1. Si plethora adsit, omni iure sanguinis illa quantitas minui debet per adhibitam V. Snem, qua vel in pede, vel in brachio instituta, sanguis ad vnc. VIII - X. emitti potest.
2. Cacochylia, quae in primis viis latet est euerrenda. Interdum euenire solet, plerumque in morbis chronicis, vt insignis humorum acidorum copia in ventriculo atque reliquis intestinis haereat, quibus mercurii actio, priusquam in sanguinem transeat, exacerbatur. Hoc igitur, vt praecaveatur, sordes illae primarum viarum, quoad fieri potest ante saliuationis usum, sunt subducendae blandis catarcticis, quae optime desumuntur ex gummeo resinosis, in primis Galbano, ammoniaco, bdellio, mastiche, cum proportionata dosi myrrae rubrae, & tantillo extract. Aloës Ludouic. exstmulatis. Hae enim partes gummosae & mucilaginosae acidum primarum viarum inuoluunt atque ita obstrandunt, vt sine terminosis symptomatibus materia expugnari possit.
3. Bilis caeterique humores vitiosi, in sanguine redundantes, sunt corrigendi atque eliminandi. Hinc praemissso eiusmodi catarctico, eoque pro rei conditione aliquoties repetito, optime deinde exhiberi possunt medicamenta temperantia, resoluentia atque simul diluentia. Temperant vero serum lactis, Emulsiones ex seminibus. 4. frigid. maior. endiu. papau. alb. cum aqu.

Nymph. Scorzon. Scord. millefol. lactuc. &c. Collatura addendo antimonium diaphor. succ. alb. ppt. os sep. ppt. magister. eiusdem, Corall. alb. ppta Syrup. Papau. Dialth. it. pulu. antispasmod. Stahl. Resoluunt Eff. L. Pimpin. alb. scabios. scord. Tinct. Alexiph. Stahl. bez. Wed. quae biliosis tamen temperamentis refracta dosi sunt propinanda. Diluunt vero decocta pugillaria ex herbis M. S. demulcentibus & diluentibus vt. Cich. Sylu. Pimpin. agrimon. Scolopendr. capillo venoris, nasturtio aquatico & similibus, quae omnia, si placet, cum pullo gallinaceo vel carne vitulina decoqui possunt.

4. Quidam etiam commendant, plerumque in fordinibus externis tollendis, balnea aqu. com. tepidae vel solius, vel cum radicibus & herbis humectantibus, mundificantibus & lenientibus decoctæ, quae balnea etiam haud inutilia deprehenduntur. Parantur vero eiusmodi balnea ex rad. oxylapath. bryon. helen. peuced. alth. aristoloch. rot. scrophul. herbis emollient. nicotian. sclareae, abrot. nepet. agrim. sapon. scabios. scord. &c. fl. verbasc. cham. rom. & sylu. melilot. lauend. cort. betul. frangul. baccis laur. sem. lin. conquassat. lupin. foen. graec. fulph. caballin. cum s. q. aqu. simpl. decoct. Eiusmodi balnea semel tantum in die, si aeger imbecillior sit, si vero fortior sit bis adhiberi possunt, mane ieiuno ventriculo, & vesperi post confectam brandii concoctionem. In quolibet balneo ad horam unam vel sesqui horam immorari potest aeger. Caute tamen eiusmodi balneis tractandæ sunt mulieres, utrum gerentes, ne utero noxa inferatur, causaque detur abortioni.

§. XXXVI.

Optime autem cauendum est, ne calefacentibus remediis aegros ad hydrargyrosin praeparemus, praecipue illos, qui calidioris sunt temperamenti. e. g. iusculis viperinis, decoctis lign. Guaiac. frequentioribus, sassafrill. sassafr. praeparatis mercurialibus interne sumtis &c. his enim sanguinis fero, siccitas atque acrimonia magis augetur, quam corrigitur.

§. XXXVII.

Haec remedia omnia iam allata ad siphylliticorum praeparationem sufficient, nisi alia labes grauior cum hacce lue sit coniuncta, e. g. si aeger sit phthisicus, vel ad tabem inclinans, cachecticus, ictericus, epilepticus, scorbuticus, vel Diarrhoea laborans &c. tunc neque hydrargyrosis, neque praeparatio ad eandem in illis locum habet; sed omnes potius eiusmodi affectu laborantes, ex eorum capitibus antea rite sunt tractandi.

§. XXXVIII.

Corpore itaque hac ratione praeparato saliuatio institui potest. Vbi circa illius materiam, qua instituitur, notare debemus 1) selectum. 2) compositionem & praeparationem. 3) applicationem. 4) effectus exinde oriundos & 5) denique modum agendi.

§. XXXIX.

Primum quod attinet ratio ~~haesili~~ e^a medicamentorum, saluationem excitantium, quorum selectum omnino notare debet medicus. Extant enim medicamenta, quae 1) non sufficiunt, 2) minus sunt tuta. Inter ea, quae non sufficiunt refertur. e. g. Vit. olim album, quod a quibusdam ad gr. j. quotidie propinatur: id quod

lympham quidem fundere autumatur, ob Sal suum alcalico acidum; ad plenariam vero virus venerei extirpationem non est sufficiens. Porro huc pertinet mercurius crudus, qui interne, sed sine omni effectu adhibetur. Mercurius enim neque a saliu, neque a menstruo ventriculi soluitur; & ob illius grauitatem specificam fibris intestinorum non adhaeret, consequenter non penetrat per poros chyliferos, & hinc canalem intestinorum transiens immutatus rursus per aliuum excernitur.

§. XL.

Deinde etiam minus tuta extant medicamenta, quae interne assumta ob acrimoniam suam corrosiuam statim in ventriculum agunt, & facile vomitum aliaque multa incommoda inferre solent. Vti sunt e. g. Mercur. praecip. ruber, Turpethum minerale, Praecipitatum viride, arcanum corallinum &c.

§. XLI.

Ex his vero omnibus primum locum obtinent, mercurius crudus externe in vnguenti forma; & mercurius dulcis interne adhibitus.

§. XLII.

Horum medicamentorum praeparationem quod attinet, apud veteres vsu receptissimum fuit vngu. illud famosum Sarac^{fornicata}, cuius descriptionem vid. apud ASTRV. . . . II. cap. VII. Hodie vero sequens ratio componendi vnguentum mercuriale in vsu est, e. g. Rec. Mercurii viu. therebinth. extinct. a. vnc. ij. Pingued. suillae vnc. j. M. F. l. a. Vngu. Gratiae causa interdum etiam addi ponunt aliquot guttulae olei lign. rhod. Salu.

vel

vel lauend. Mercurius vero eligendus est optimus, prae-
cipue ex cinnab. rediuiuuus.

§. XLIII.

Mercurii dulcis praeparatio sic sese habet: Rec.
Merc. sublim. & Merc. viu. ana q. v. tere in mortario la-
pideo tamen diu, donec nihil viui Merc. amplius appareat.
Cauendum tamen, ne effluvia inter terendum exhalantia,
nares intrent atque fauces. Haec mixtura sublimatur, si-
ve in arena, siue in cucurbitula loricata, prunis imposita,
ita assurget in collo primum griseus Mercurius, quem
succedit deinceps albus, pellucidus, crystallinus, a gri-
feo separandus, & seorsim conseruandus. Griseus autem
iterum noua sublimatione tractatus, (in primis si Mercuri-
us superfluus ab eo separatus fuit) quoque mutatur in al-
bum.

§. XLIV.

Si itaque haecce medicamenta adplicantur, triplici
modo exinde saliuatio obtinetur, 1) interne tantum adhi-
bito Mercurio dulci. 2) externe tantum per inunctionem,
ope vnguenti. 3) utrisque simul.

§. XLV.

Si per interna tantum assumta saliuatio sit produ-
cenda, quotidie mane per 3. 4. vel 5. dies gr. X. vel XII.
Merc. dulc. rite praeparati propinantur. Praefat vero
semper minorem eligere dosin & successiue ad maiorem
adscendere; & secundum circumstantias tubiectorum dosis
augeri vel minui potest, vt gr. V-XV. quaelibet dosis con-
tineat.

§. XLVI.

Cum vero Mercurius nauseosum habet saporem,
den-

dentibusque inimicus est, aliis medicamentis inuolui debet. Quare optime propinari potest, vel in forma pulveris, vel pilularum, vel boli; in duobus vltimis pro excipiente sumi potest. Extract. Scorzon. vel Fumar. vel alia.

SCHOL. Cauendum autem est ne Mercurius dulcis in forma pulu. cum salibus misceatur, praeſertim alcalino & ammoniacali: alias enim eius vis corrosiva resuſcitatur & molestissimam mouet ſaliuationem; teste Celeberrimo HOFFMANNO in Systemate med. Tom. III p. m. 485.

§. XLVII.

Saliuatione incipiente continuari potest Mercurius, ita tamen, ut gr. V. vel VI. tantum pro dosi paucis adh. diebus dentur. Haec vero medicamenti actio tanto magis secundabitur, ſaliuaeque profusionem promouebit, si regimine conuenienti ſecundum ſex rerum non naturalium uſum corpus fouetur; vel etiam in caſibus congruis blandus ſudor eliciatur exhibitis intermedio tempore circa vespertinas horas ſudoriferis ſic diētis mediis, quales ſunt Spir. Bezoard. Buss. corr. Liq. C.C. succin. Tinct. bez. ſine acido, Eff. LL. Eff. antimon. &c, circa noctem vero dari poſſunt pulu. absorbentes cum reſoluentibus ex antim. diaph. Corall. ppt. oc. 69. ppt. &c, nec non Decocta ex Sassafr. lign. Guai. Sassafr. aliisque ſimilibus lignis, quae loco potus ordinarii a quibusdam adhibentur: vel ſi hoc non placet aqua ſimpl. calida, vel cereuifia ſecundaria adhiberi potest.

§. XLVIII.

In hac vero bene adminiſtranda adhuc ſequentes cautelae ſunt obſeruandae:

- 1) Omne acidum anxie virari debet: ſiſtit enim non ſolum fluxum; ſed & tumores in fauibus reliquaque oris partibus

tibus maiores reddit, ita, vt suffocatio exinde subita-
nea esset timenda: quare omnes cibi acidi & potus spi-
rituosus acris aromaticus interdici debet.

- 2) Si per noctem forsan continuaret saliuatio, aegrum cochlear in ore tenere oportet, vel alio modo os diua-
ricari debet, vt saliuialis humor effluere possit.
- 3) Nunquam nimia esse debet hacc euacuatio, neque im-
petuosa: sed praefstat leniter & successiue eliminatio-
nem humorum continuare.
- 4) Siptyalismus modum debitum obseruet, nec excitam-
dus, nec coercendus, sed vno eodemque tenore per-
dies XV. XVIII. XX--XXV., prout vberior vel par-
cior fuerit, continuari debet: sed vltra III. vel IV.
hebdomades eam extendere non licet.
- 5) Durante saliuatione aegroti Euphoria semper est re-
spicienda, quomodo sese habeat, vtrum bene succe-
dat, vel an alibi fiat humorum affluxus, qui ex dolore
partium facile cognosci potest, e. g. interdum pulmo-
nes afficit Mercurius, interdum etiam intestinales glan-
dulas occupat, vellicat atque ad copiosiorem humo-
ris secretionem incitat, vnde alui fluxus sunt expectan-
di; quare his praesentibus circumstantiis, statim ab
ulteriore medicamenti applicatione abstinentendum est.

§. XLIX.

Si per externa tantum fiat saliuatio, tunc vnguento
mercuriali §. 42. descripto instituitur. In huius vnguen-
ti adapplicatione autores pro varia eorum methodo disre-
pare solent: communissime tamen & optime in articulis
extremorum fit iunctio, vti manuum ac pedum; porro
circa brachium, humerum, carpum, inguina, plantam

D

pe-

pedum &c. partes inungi solent. Sunmitur vero plerumque vnguenti drachma dimid. aut I., eoque vel plantae pedum, vel totum dorsum, vel aliae partes iam descriptae illinuntur. Si circa plantas pedum vnguentum applicatur, illinitio quolibet die bis instituitur; si totum dorsum illinitur, tribus diebus bis: & hoc fit praecipue mane ac vesperi: sin vero pluribus in locis simul suscipiatur inunctione mane tantum sufficit & quidem de die tertio in tertium, ne nimium exagitetur humorum resolutio.

SCHOL. I. Sunt & alii modi, quibus pivalismus per vnguentum excitari potest: sic e. g. quidam tribus primus diebus, vel etiam intra primos 5. dies tres adhibere solent inunctiones, & primam a pedibus ad tibiarum furas; alteram a furis ad femoris media, & tertiam demum a femoris medio ultra nates ut plurimum extendunt.

2. Quidam etiam aegros in balneo vaporoso mercuriali tantum collocant: alii cingulum dicto vnguento copiose inunctum circa umbilicum gestant &c.

§. L.

Notandum tamen, quod ante applicationem vnguenti, frictio probe obseruetur, cuius methodus sic sese habet: pars nempe illa, quae vnguento tractari debet, manu sicca ad ruborem usque in loco calido fricanda est. Hac enim ratione non solum calore affrictus pori laxius patent, sed & humores commoventur, quo Mercurius ideo felicius intrare atque agere possit. Deinde destinata vnguenti dosis inter latus utrumque aequaliter distribuitur, & vel patientis nudis manibus vel chirurgi chirotecis muniti, ad ignem tamdiu illinitur, donec intra cutim sensim imbibita exaruerit. Post frictionem autem aeger rursus in lectum calidum ponatur, ubi per unam aut alteram horam

ram sese continet, donec illitum vnguentum altius penetrauerit.

SCHOLION. Inunctio melius ab ipso aegro absoluitur, si digitis suis vnguentum ad membra illinit. Si enim ipse illinitionem suscipit, nil damni, sed potius id lucri exinde reportat, ut partes quaedam mercuriales etiam pores digitorum intrent, & saliuacionem eo citius promoueant.

§. LI.

Tandem vtrisque modis saliuatio excitari potest, si nempe Mercurius tam interne, quam externe aegro simul exhibetur: cuius methodus applicandi haec est: mane mercurius dulc. ad gr. VIII. in decenti vehiculo propinatur, & circa vesperam corpus illinitur vngu. mercuriali. Incipiente vero saliuatione Mercur. dulc. assumptio tantum continuari potest. Vel secundum aliorum sententiam, semel illinitur dorsum, reliquo vero tempore mercur. dulc. propinatur.

§. LII.

Experientia itaque edocti videmus, hisce adhibitis materiam peccantem non solum ad euacuationem aptam reddi; verum etiam vim cordis atque arteriarum ira augeri, ut omnes secretiones & excretiones exinde incrementum capiant, & fluidum aliquo modo versus fauces determinetur.

§. LIII.

Cum vero omnia, quae in machina humana fiunt, sua nituntur ratione; non incongruum fore puto, si etiam hic paullulum inquirimus, quanam ratione Mercurius, tam interne, quam externe adhibitus, tales producat actiones.

§. LIV.

Dilucidius autem haec omnia patebunt, si solummodo ad modum agendi attendere volumus. In illo quidem explicando autores multi dissentunt; regulis autem motus atque adhaesionis probe cognitis omnis dissensus forsitan facile fugiet.

§. LV.

Mercurium considerantes in illo deprehendimus; quod sit substantia metallica, fluida, mobilis, in globulos indefinite paruos diuisibilis, omnibusque corporibus, exceptis metallis, specifice grauior.

§. LVI.

Si itaque mercurius est specifice grauior corpore nostro, exinde sequeretur, ut nullo modo in corpus nostrum organicum agere possit. Ex principiis physicis enim constat, quod nullum corpus specifice grauius adhaereat leuiori: hinc non datur cohaesio. Si non cohaeret, non penetrare, & per consequens nullam actionem in corpus exercere potest: quod tamen contra experientiam.

§. LVII.

Hoc vero obstaculum, ut remoueamus, ad tria sequentia momenta accuratius attendere nos oportet 1) quaque ratione Mercurius tanquam specifice grauius corpori nostro adhaereat, saluis adhaesionis legibus? 2) quomodo resolutionem producat? & 3) quomodo ad glandulas salivales & glandulas oris determinetur?

§. LVIII.

Primum quod attinet ex superius iam dictis patet, dupli modo in hydrargyrosi Mercurium applicari posse, vel crudum, vel praeparatum: in vitroque modo Mercu-

rius

rius cum sulphureis partibus combinatur. Crudus enim Mercurius therebinthina extinctus miscetur cum axungia, (§. 42.) hinc totus Mercurius sulphure inuoluitur. Mercurius dulcis paratur cum Mercurio sublimato (§. 43.) Mercurius vero sublimatus constat ex miscela cum Mercurio viuo, sale com. fuso vel decrepitato & vitriolo ad albedinem calcinato. Si itaque mercurius a spiritu saliuali soluitur, tunc simul cum acido vitriolico, sulph. vitrioli purissimum in se continente, (quod etiam anima vitrioli vocatur) iungitur.

§. LIX.

Quod vero talis anima vel Sulph. Vitrioli in genuino Mercurio sublimato sit, exinde probatur 1) si oleum tartari p. d. guttula minor cum Merc. Subl. crystallino splendente ac niueo miscetur, statim oritur aureus color, & hoc experimentum dat notam characteristicam bonitatis Mercurii sublimati, 2) si Mercur. subl. aqua solutus permiscetur, oleo tart. p. d. luteum oritur praecipitatum. vid. TEICHM. Chym. Part. II. cap. X. p. m. 146.

§. LX.

His itaque perspectis facile patet in omnibus sic diversis modis (§. 58. & 59.) Mercurii particulas grauiores obduci corpore partibus nostri corporis specifice leuiore: hinc ob superficiem mutatam adhaerent corpori nostro atque ex adhaesione penetrant & cum M. S. miscentur, vel per poros cutis, adplicato vnguento mercuriali; vel per vasa lactea, assumto Mercurio dulci.

§. LXI.

Mercurius tam praeparatus, quam crudus hac ratione (§. 60.) ad M. S. delatus, vtroque modo illam resoluit.

Facile enim Sal vi experientiae resoluit, stimulando vasa corporis nostri; quare illa sese contrahunt, & fluida in illis contenta maiori cum impetu propelluntur, hinc fit actio particularum inter se inuicem maior, E. resolutio. Cum vero Mercurius dulcis eiusmodi Salibus, iisque volatilibus (§. 43.) praeditus est, sequitur, ut eosdem effectus eadem ratione producat.

§. LXII.

Eundem modum agendi deprehendimus in mercurio crudo. Non negandum quidem, mercurium crudum non solum in corpus nostrum agere, ob figuram suam globosam & laeuigatissimam; verum etiam ob specificam suam grauitatem, qua fibras motrices exagitando ad frequentiores systoles, consequenter ad celeriorem humorum per singula corporis nostri vasa progressum, animat.

§. LXIII.

Haec vero actio maiori cum violentia peragitur, si mercurius crudus salibus coniungitur. Simul ac enim Mercurius crudus per poros cutis (§. 60.) ad M. S. penetrauerit, a fluidis nostri corporis auferuntur particulae specifice leniores particulas mercurii cingentes; & contra partibus mercurii crudi aliae paulo specif. grauiores v.g. Salinae, acres, acidae adhaerent, hinc serum ab acidis coagulantibus fit liberum, consequenter fluxile & quasi fusum ac resolutum; & hanc fusionem deinde ipse Mercurius Salibus vnitus auget, tam partes terreas resolendo, quam vasa stimulando. Vti enim Salinae; sic quoque mercurii particulae Salinis cinctae solutae, tenentur a fero, agunt cum eodem & secernuntur e M. S.

SCHOL.

SCHOLION. Ex hisce facile patet quod ipse Mercurius in eiusmodi siphiliticis & scorbuticis corporibus euadat mercurius dulcis; & quod nulla vñquam Saliuatio excitari possit, ope mercurii crudi; nisi his in morbis, vbi acrimonia simul sub olla lateat. Quare etiam illi, qui scorbuticae sunt indolis, sibi optime prospicere debent, ne ipsi vel in praeparatione, vel adplicatione horum medicamentorum salivationem sustinere debeant: id quod & eorum exempla confirmant, qui barometra, aliaque ope mercurii conficiunt.

§. LXIV.

Quo maiori itaque est acrimoniae copia in lue vene-
rea, eo vehementior quoque eiusdem deprehenditur actio
mercurii crudi. Si enim Salia mercurii globulis accedunt,
rodentem induunt naturam: hincque fibris motricibus
nerueis allisi, has non solum vehementius commouent,
verum etiam ad contractiones arctiores stimulant, vnde
interspersa vasa sanguifera simul comprimuntur, & sanguini-
nis vberior & ordinarius per haec transitus prohibetur:
quare etiam inaequalis deinde futura est humoris distri-
butio, qui ad partes constrictioni haud obnoxias maiori
quantitate tendunt, quam in alias.

§. LXV.

Mercurius quatenus Salinis partibus est circumda-
tus, tanquam proprium soluens seri considerari potest.
(§. 61) Hinc etiam iis in locis secerni debet, vbi serum
secernitur, secretio vero seri fit in glandulis, E. Merku-
rii secretio quoque in glandulis fieri debet.

SCHOLION. Et hoc experientia etiam comprobatum inueni-
mus. Si quis enim in salivationis operatione nummum aureum vel
argenteum in ore detinet, tunc durante profluvio mercurius, cum
argento cohaerens, se rursus in illo manifestat.

§. LXVI.

§. LXVI.

Haec vero secrecio seri cum magna sit in statu naturali in glandulis Saliualibus atque oris, quam in reliquis corporis partibus; facile patebit ratio, cur affluxus humorum tanta quantitate hac in operatione versus has partes determinetur. Quotiescumque enim loquimur, vel cibos assumimus, glandulae Saliuales & glandulae oris a continuo motu maxillae inferioris atque linguae comprimuntur, hinc fibrae irritantur, & humores ibidem maiori quantitate adfluunt. Accedit & hoc, quod aegrotus tempore salivationis os semper gargarismatibus eluere debeat, consequenter fibrae fiunt moliores, E. minor adest resistentia, hinc maior humorum affluxus.

§. LXVII.

Mercurius itaque ad partes glandulosas delato (§.65.) varia ibidem producit symptomata. Cum enim mercurius maiorem habeat massam, tardius in hisce angustissimis vasis, quam serum ab eadem vi cordis atque arteriarum, mouetur; hinc obicem ponit sero, vnde etiam vasa glandularum insigniter extenduntur, vsque dum ob vasa expansa & serum fluxile redditum ipse mercurius vna cum sero copiose admodum profluat.

§. LXVIII.

Quare etiam primis diebus lingua & labia, reliquae que oris partes, vt gingiuæ, Parotides dolere ac tumere solent, dentes fiunt mobiles &c. quibus praesentibus fluxus deinde incipit, quo tempore omnis usus mercurii tam externus, quam internus cessare debet. Postea vero lympha effluit, quae tenuis est, quam sequitur viscidior, hanc vero tenacissima atque foetida cum forti exscretione,

ne, id quod in quibusdam octauo, in aliis duodecimo, in aliis vicesimo die fieri solet, & tunc sufficiens euacuatio facta est.

§. LXIX.

Euacuatione humorum sufficienter facta (§. 68.) vel si nimia sit sistenda est, ne vires aegri nimium debilitentur: id quod fit vel purgantibus, vel per Clysteres, vel per sudores. Alius enim quae plerumque ptyalismi tempore pigra & adstrictior esse solet, ob humoris confluxum ad os, 1) enemate blande subducenda est, sic e. g. Rec. De coct. fol. Verbasc. & lini vnc. iij. adde butyr. vel olei amygd. dulc. vnc. j. Extract. Cass. vnc. j. f. Vitelli ouorum no. j. M. F. l. a. Clyster. D. c. instrum. proximo vero die purgans ex Senna, rhabarb. Sale vegetabili, manna, cassia, aliisque huius generis blandioribus catarcticis exhiberi potest, quod si ptyalismus est vberior, alternis diebus est repetendum.
 2) Si forsan adhuc aliquid mercurii in M. sanguinea latet etiam interne dari possunt diaphoretica & resoluta, e. g. TR. bez. Stahl. MR. simpl. pulu. bez. Wedel. &c.
 3) Ulcera oris reliquaque symptomata, quae exinde nata sunt ex eorum capitibus sunt tractanda.
 4) Leniter comprimantur oris partes nummis aureis vel argenteis, sic etiam prodit reliquus mercurius.
 5) Quo omnia munda sint in aegro, lintea a mercurio solidata facta, ut tibialia, femoralia, indusium, nec non lectum, mutari debent, ne Salia in iis contenta cum corpore sese rursus misceant.
 6) Si vnguento mercuriali operatio instituta fuerit, cutis aegroti oleo amygd. dulc. primum, postea vero aqua vit. vel alio Spiritu vin. detergi debet, ne qua portio mercurii in cute reliqua saliuationem protrahat.

§. LXIX.

Mercurii adhibiti, vel crudi, vel praeparati effectus praecipui sunt, vt vel nulla sequatur saliuatio, vel non sufficiens, vel fiat decens, vel nimia.

§. LXX.

Quare si tertio vel quarto die post assumptionem mercurii non sequuntur symptomata (§. 67. & 68.) allata; sed potius sensus grauatus ventriculi & inflammatorius hypochondriorum, ab omni mercurii adhibitione ulteriori abstinere debemus, ne alia grauissima symptomata exinde sequantur: hinc optimum erit consilium, vt materia assumta rursus euacuetur adhibendo

- 1) Vomitorium in tripla dosi &
- 2) Decoctum sudoriferum ex lign. Sassafr. Guaiac. Iunip. & lign. Sassaparill. &c.

§. LXXI.

Si non sufficiens fit saliuatio, neque debitus affluxus ad glandulas saliuales adsit, semper inquirendum, vtrum forsan per aliam viam naturalem maior seri euacuatio fiat, vti per poros cutis id non raro accidit; & si aeger nullum damnum & molestiam exinde capiat, tunc hic naturae ductus non impediendus est, sed potius per appropriata bezoardica, sudorifera & temperantia promouendus: sin vero non sufficiens fuisset adplicata mercurii quantitas, tunc vltiore mercurii assumptione, vel etiam per acria non acida in ore detenta, apophlegmatizonta dicta, promoueat.

§. LXXII.

Si decens fit saliuatio, tunc effectus exinde prouentur i sunt

- 1) Extensio insignis omnium partium oris & faucium (§. 67. 68.)
- 2) Ad-

- 2) Adfluxus massaæ acris viscidae rodentis versus easdem.
- 3) Prostratio virium insignis.
- 4) Totius corporis siccitas.

§. LXXIII.

Si nimius fit fluxus praeter ea, quae §. 69. diximus, etiam vesicatoria adplicari possunt; imprimis si ex tumore faucium nimio vel inflammatione suffocatio esset timenda. Etenim si ad faucium glandulas, sublinguales, maxillares, tonsillas, imo & linguam confessim humores adiguntur, adeo hae partes intumescunt, ut cum deglutitione Spiritus interdum intercipiatur omnimode: de quibus *vid. SEN-NERT. in Prax. med. parte IV. lib. VI. cap. iam cit. & FAL-LOP. in tract. de lue venerea cap. LXXVI.* nonnulla etiam monet *SYLVIVS method. med. lib. II. cap. XI p. m. 112.*

§. LXXIV.

Quanquam autem utilitas saliuationis, summaque efficacia, quam in venerea, etiam inueterata lue ita præstat, ut eius praecipuum alexipharmacum censeamus, vni-cuique satis cognita erit: nihilominus tamen nemo facile ibit inficias, multas easque frequentes ingruere circumstantias, quae saliuationem in hac lue aut plane non admittunt, aut si his neglectis inconsiderate fuerit adhibita, summe periculosam efficiunt. Quod circa cauto opus est sed quoque prouidendum, quaenam huic operationi contra-indicent.

§. LXXV.

Contraindicatur autem hydrargyrosis

- 1) a temperamento sicco & calido (§. 72. no. 4.)
- 2) a viribus aegri insigniter consumptis, seu ab ipsa lue venerea, ubi nempe ossa iam sunt corrupta atque corrosa,

sive ab alio morbo , qui corporis vires iam exhausit atque emaciauit , vt Phthisi , hectica &c. Eiusmodi enim affectus neque saliuatione , quantumuis repetita , neque vlla alia ope expugnari perfecte possunt.

Afferat ipse licet sacras Epidauriūs herbas :

Hinc praestat , cum nullis medicamentis pristina sanitas redimi possit , id potius agere , vt mitigentur graviora symptomata , ita vt minoribus molestiis , quod reliquum est vitae spatium , aeger facilius transfigat.

- 3) a leuiori gradu luis venereae ; consumtio enim virium & symptomata , quae accedere possunt , maius malum ipso morbo efficiunt.
- 4) a visceribus putrilaginem & corruptionem indicantibus : praeprimis vero huc spectant , Phthisis , Pleuritis , Peripneumonia , Hectica &c.
- 5) quotiescumque siphiliticus morbo chronicō detinetur , vt hydrope vel pectoris , vel abdominalis , graui scirrho hepatis , lienis , vteri &c. it. febre lenta diurna.

§. LXXVI.

Caeterum si de aegri salute iam conclamatum esse videatur , palliatius quidem remediis , sed nunquam desperatis quicquam tentare licet. Dummodo enim adhuc spes aliqua , quamquam exigua , affulgeat , medicus ad auxilium ferendum promptus inueniatur , secundum CELSI sententiam : in evidenti mortis periculo , dicentis , satius sit anceps remedium experiri , quam nullum : dubia namque spes , certa desperatione potior. Sed absit vbi que temeritas.

F I N I S.

NOBI

NOBILISSIMO ET CLARISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

P R A E S E S.

Venerabilis & honorabilis Medici Character est, quod Naturæ Minister sit; quo officio artis suæ dignitatem & eminentiam probare debet: Quemadmodum enim fidus minister Principis sui mandata, Leges, ordines, institutiones & negotia sancte, stricte & ingenuo observare & exequi tenetur, ita medici summa est obligatio salutares Naturæ motus, ductus, methodos, progressus atque effectus sublevare, imitari & promovere. Hinc non liberum est pro suo captu ac errore respectu sentire, quicquid placuerit, sed faciles, justas atque liberas Naturæ operationes observare, & necessitate requirente sincera imitatione prosequi. Præcipuus autem naturalis ordo est, quod diversis excretionibus tota cœconomia naturalis mirifice administretur & conservetur. Sicut etiam omnis congrua euacuatio salutem corporis humani promovet, ita etiam inter alias species spontanea, aut plane Critica Salivatio singulare opus Naturæ existit, quod Medicus prudenter annotare & applicare debet. Quamvis autem non quælibet talis excretio absolute salutaris prædicanda veniat, quando statum, easum, tempus, modum, ordinem & causam non observat, ita etiam promiscua imitatione non indiscretim probanda erit. Licet enim aliquan-

do verum sit, quod idem sit, quod duo faciunt, tamen verum etiam est, quod dno cum faciunt idem, non sit idem. Hinc non semper absoluto obsequio naturæ ordines, leges atque ductus aberrantes in medicina imitatione digni censentur: ob id quidem Salivatio sive a Natura, sive a Medico instituta & administrata sit, Heroica atque sonrica operatio est, ideoque etiam in utroque foro sive Naturæ, sive artis circumspecte suscipienda, promovenda & perficienda est. Antiquitus quidem artificiosus Salivationis usus inventus fuit, ut ap. Arabes medicos jam tum aliqualis manuductio, testantibus FRACASTORIO, ZACUTO LUSITANO, ROLFINCKIO, SENNERTO, ALBINO ad hanc therapeviticam, operationem inveniatur; Quam ardua vero & heroica Salivationis artificialis est operatio, perhorrescenda tamen non est, modo circumspecte ordinetur, applicetur & dirigatur, quia levis in eadem commissus error, admodum graves & periculosas involvit consecutiones. Hæc observatio calcar TIBI, NOBILISSIME CANDIDATE addidit, ut pro argumento Inauguralis Dissertationis *Salivationis Mercurialis* peritam & dextram ordinationem se legeris, eamque docte & perspicue, propria laudanda elaboratione explicaveris, commendaveris & congrua methodo ac solidis cautelis instruxeris, Posteaquam enim partim in alia vicinie celebri Academia aliquot annis, ut & per semestre tempus in Fridericiana nostra eleganti conatu ac sedulitate Medico studio incubuisti, ita in eodem etiam optimos fecisti progressus, id quod in solemnibus Examini bus, pro impetranda in exercitio artis Medicæ Licentia, Facultati nostræ satis egregie probasti, ut hisce Privilegiis dignus utique judicatus fueris. De quo tuis honoribus gratulatoria accedo acclamatione, insuper etiam sincero voto,

expe-

expeto, ut Summus Optimusque rerum humanatum Director honestos tuos conatus atque labores desideratissimis felicissimisque coronet beatque successibus, confirmet augeratque tibi vires animi atque corporis, jubeatque omnia tibi evenire fausta, quo Gloriam altissimi, proximi salubritatem & patriæ spem efficacissime promovere & implere possis. Vale. Dab. Halæ Magdeb. d. XIII. Calend. Decembr. A. O. R. cIc Iccc XL.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

IO. HENR. SCHVLZE,

M. D. & P. P. O.

Est omnino optabile ut medicus possit cito, tuto & iucunde morbis mederi. Sed & iniucundas curationes, vbi res & locus postulat, non oportet refugere, vt iucundus recte valetudinis fructus redimatur. Evidem vix dubito, quisquis saliuationem in corporibus impuris excitatam considerauerit, multa eum in hoc negotio obseruare potuisse, quæ nec ægroto iucunda, nec medenti esse possunt. Enimvero miseri morbi & maioris miseriæ propinquum metum facientes, auxilium quodcumque, vnde spes conualescendi probabilis affulget, redundunt tolerabile: atque successus ex voto consequens iucundam

cundam reddit medicinæ recordationem. Memini coe-
citatatem cum lue venerea simul depulsam, quum huius
tantum caussa esset suscepta saliuatio. Memini etiam vl-
cera pedis grauissima, fistulosa & callosa, per duodecim
annos medelæ omni resistentia, ut chirurgi iam pridem
amputandum membrum suaderent, fuisse vnius mensis
spatio percurata, quum saliuationem alias concitans me-
dicina esset adhibita; non succedente quidem illa, sed
post foedi ichoris per vlceræ fistulosa effluxum optata re-
stitutione impetrata. Rechte itaque facis, qui hoc argu-
mentum considerationi medicæ subiecisti. Bonæ vtique
leges præcipiunt, ne chirurgi vñquam sine medici ra-
tionalis consilio hanc curationem instituere audeant. Vn-
de appetet quantopere medicum deceat huic curationi
animum adiicere. TIBI gratulor hoc specimen & anno-
rum studio medicinæ impensorum faustum felicemque
colophonem. Faxit DEVS ut porro TIBI ex animo o-
mnia succedant, ægrotisque plurimum emolumenti ex
TVA eruditione & industria proueniat. Halæ die

XX. Nouembris cccc xxxx.

